

annuatim ad usus supradictos ministrare sibi reservatis resultantibus fructibus proventibus et utilitatibus ex bonis, iudicibus, collationibus aut aliis iuribus quibuscunque, una cum oblegiis debitis aut debendis ex eisdem. Quae omnia et singula per nos sic donata — et ordinata nos Johannes episcopus auctoritate nostra ordinaria — approbamus et confirmamus. — In quorum omnium testimonium et evidentiam perhennalem sigillum nostrum maius praesentibus — duximus appendendum, eisdem collegarum executorum nostrorum sigillis coappensis. Datum et actum Misnae anno domini millesimo quadringentesimo tricesimo secundo ipso die sancti Lucae evangelistae.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs, des Seniors Walther v. K. (3 Lilien) und des Archidiacon Lampert v. S. (kniende männliche Figur unter einem Baldachin, darunter ein Andreaskreuz und dazwischen 3 Rosen) an Pergamentstreifen.

No. 947. 1432. 27. Oct.

*Das Concil zu Basel fordert den B. Johann nachdrücklich auf wegen der bevorstehenden Ankunft von Abgesandten aus Böhmen bis nächste Weihnachten in Basel unweigerlich in Person zu erscheinen, in dem seine Abwesenheit allein nur entschuldigenden Falle der Krankheit aus seiner Geistlichkeit einige geeignete Männer abzuordnen.*

Sacrosancta generalis synodus Basiliensis in spiritu sancto legitime congregata universalem ecclesiam repraesentans venerabili . . episcopo ecclesiae Misinensis salutem et omnipotentis dei benedictionem. Inter cunctas huius sacrosancti concilii sollicitudines nulla maior est et quae nobis magis sit cordi, quam ut Bohemiae regnum in eadem nobiscum unitate coniungatur. Ad quod sanctum opus perficiendum nihil quod necessarium aut utile visum fuerit hactenus praetermissimus. Nam ut primum haec sancta synodus congregata est, mox ad ipsum regnum piissimas litteras transmisimus cum omni efficacia exhortantes, ut cum pleno mandato oratores suos ad hunc locum divinae vocationis destinaret, ubi futuram nobiscum ipsorum unitatem in dei misericordia sperabamus. Saepe deinde versus Bohemiam nostros notabiles oratores misimus, qui huiusmodi sanctum negotium diligentius sollicitarent ac celerius expedirent. Actum tandem est interventu spiritus sancti, ut convenientibus in opido Egrae ambasiatoribus nostris et Bohemorum, cooperantibus ad hoc dilectis ecclesiae filiis nobiles viris Frederico marchione Brandenburgensi et Johanne duce Bavariae oratoribusque Nurnbergensibus et civibus Egrensibus aliisque insignibus personis unanimi consensu concluderetur, ut notabilis ambasiata omnium statuum regni Bohemiae ac marchionatus Moraviae ad hoc sacrum concilium proficisci deberet, postquam a nobis certos salvos conductus accepissent, quos iam pridem in plena forma prout conventum fuerat ad eos destinavimus. Post haec duo nuntii ex regno Bohemiae cum litteris credentialibus supervenerunt asserentes, se praemissos ad annunciandum post ipsorum reditum in Bohemiam in continenti ambasiatores dictorum regni et marchionatus iam electos ad concilium venturos necnon ad hospitia et alia necessaria pro ipsis ambasiatoribus praeparandum. Hi duo nuntii et in via et hic cum omni humanitate suscepti et tandem de nobis bene contenti in Bohemiam reversi sunt affirmantes, quod post ipsorum reditum dicti ambasiatores sine mora iter huc veniendi arripient.